

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11



1685

24. Muellerus, Petrus : De fundo optimo maximo.
- 24, 6, 7. Muellerus, Petrus : De iure opum. 2 Jaenpl. 1685, 1686,
1711 & 1738.
27. Muellerus, Petrus : De jure soliti... .
- 23, 24. Muellerus, Petrus : De ficto, seu quasi dominio
2 Jaenpl. 1685 & 1736.
- 24, 25. Muellerus, Petrus : De matrimonio absentium.
= Muellerus, Petrus : De probabilitate & testatorie Teste
bellianica. 2 Jaenpl. 1685 & 1722.
25. Muellerus, Petrus : De exceptione impossibilitatis
ex applicacione ortae.
26. Muellerus, Petrus : De convalescentia.
27. Muellerus, Petrus : De probabilitate & testatorie Teste
bellianica.
- 28, 6, 7. Muellerus, Petrus : De capiis auxiliantibus sha-
tuum imperii 2 Jaenpl. 1685, 1716, 1721 & 1736.
29. Muellerus, Petrus : De jurisdictione criminali... .
- 30, 6, 7. Muellerus, Petrus : De jure investimenti statu imperii
Germaniae Romanie. 3 Jaenpl. 1685, 1708 & 1728.



1685

31. ¹⁶⁸⁵
= Muellerus, Petrus: *Teachibus oblatis etiam
1685 & 1701.*
32. Muellerus, Petrus: *De precipitania.*
33. Pott, Ioh. Henr.: *De absolutione a iuramento.*
34. Pott, Ioh. Henr.: *No deposito juris.*
35. Roth, Henricus Baltherus, Colligii Juris... Occamis:
et lectionem cursoriam Iohannis Facoltatis Hartungi innotescit.
36. Roth, Henricus Baltherus: *Ad legem. Sicut in et Translata
32 ff. v. red. credit.*
37. Roth, Henricus Baltherus: *Decas casuum practicorum
rum resolutiorum circa materia, conspectus*
38. Roth, Henricus Baltherus: *De exceptione intentionis in
facti*
39. Sagittarius, Caspar: *Historia Marchiae Soltae et Lusatiae,
in qua potissimum Alberti Utriusque et regester exponuntur.*
40. Schreiber, Ioh. Christianus: *Reliqua laborum et curatorum*

1685

1. Schroeterus, Johann Christian: De litteris contestatione
2. Stevngk's, Philippus: De jure omnium in omnia.
3. Strutz, Georgius: Principio legis huius salutis

annus!

in tot.

Typhus

ractio.

viscer

urso,

univers.

Forum

2572

C
AU

83

-011

16
P. 16
**IVRE OMNIVM
IN OMNIA**

DE
DIVINIS AVSPICIIS
PRAESEDEQUE
I. PHILIPPO SLEVOGTIO,
D. ET PROF. IVRIS ORDINARIO,

PVBLICE DISPVTABIT
IO. GEORGIVS IVNCKER,
VVALTERSHVSA-THVRINGVS,
D. XI. APRILIS C¹⁶ ID^C LXXXV.



EDITIO II.

J E N A E,
APVD IOH. BERNHARDVM HELLERVUM.
C¹⁶ ID CC XX.



DE
MARE COMINI
ALIOMA
DIVINIS AVASTIONIS
PRAEVIDENTIA
D. T. TROVARIUS ORDINARIO
T. G. GEORGIAS TAVICER
LIBRARIAS



EDITIONIS
J. A. M. A.
ALIO JOH. HIRNHAUDAM HERITRUM
1517. 60. xx



DE

IVRE OMNIVM IN OMNIA.

I.

*De dogmatibus perniciosis, quæ ex
Hobbesii iure omnium in omnia
producuntur.*

Olamuis ita interdum loquantur,
qui in statu naturæ ius omnibus in
omnia competere contendunt, ut
explicatione iuuari ac tolerari que-
at ipsorum philosophia: passim
tamen perturbant lectorem, & maxime totam

A 2 do-

DE IURE OMNIVM

4 doctrinam suam ipsi detestandam reddunt, pessimis sententiis ex ea deriuatis. Scilicet, quia in statu mere naturali omnia liceat omnibus, haud aliunde iniuriam omnem quam ex ciuilibus legibus astimandam, nec ante eas quidquam iniustum fuisse. Adulteria, furta, homicidia, itemque falsa testimonia, & alia huius generis, ciuili duntaxat iure cepisse prohiberi. Principes, quia in statu naturæ agant, nihil non facere aut imperare, prout libitum ipsis fuerit, posse, ex illorumque iussu aut prohibitione pendere iustitiam & iniustitiam omnium actionum: quum lex naturæ quasvis leges & mandata ciuilia seruare iubeat, erupta subiectis omnia boni malive, iusti iniustive diiudicatione.

Hæc infanda esse, & ipsa re negatum ire ius omne naturæ, simulque sapientissimum auctorem huius iuris, Deum, cuius facile appetet: nec sufficienti verborum colores, doctrinæ tam profanæ & pernitiöse fatis pingendæ ac defendendæ. Et cur initio statim non ita philosophantur, ut amoto omni verborum lusu, veri honestique se ostendant amantes, & impietatis atque atheismi suspicionem iustum effugiant?

II.

II.

*Vtrum in quæstione hac spectandus sit
status hominis, quatenus tantum
est communis cum brutis.*

Opponit quidem Hobbesius rō naturale iuri naturæ, seu dictato rectæ rationis, & naturaliter ius omnibus esse ait in omnia, sed naturæ legem velle, ut parandæ seruandæque pacis caussa ius illud abdicetur. Ex quo nihil aliud potest confici, quam in statu naturali hominem dunt taxat spectari, quatenus est animal, non quatenus rationis vſu gaudet, perque eam in actionibus suis gubernatur.

Quo posito, nos quidem nulli repugnamus, quin tali in statu dicatur naturam vnicuique ius in omnia dedisse, & mensuram iuris iucunditatem atque utilitatem esse; sicut in brutis hoc manifestum est: cæterum superuacanea & futilis tota quæstio sic redditur. Nam vtcunque animal, qua tale, significatu latiore dici potest iure agere, quatenus nec injuriam cuiquam infert, nec peccat in naturam, sed facit secundum illius ordinem: attamen longe maximum discriminem est in

A 3 illis,

illis, quæ homo, quatenus ratione præditus, iure agere censetur.

Bruta naturaliter ad vnum contrariorum sunt determinata, ut nequeant aliter agere, quam quo interni naturæ stimuli impellunt: hincque nemini faciunt iniuriam, nec violant legem ullam, quia non possunt quemquam lädere, nec perinde ipsis lex, ut hominibus, præscripta est. Hi ex aduerso, quum ratione & libertate arbitrii gaudeant, eoque legem habeant, morali necessitate libertatem illam arbitrii coercentem: soli possunt ita agere, ut vere iuste aut iniuste aliquid fecisse vel omisisse, vere iusti iniustiue esse censeantur.

Quod ratione & vsu rationis priuatis ius in omnia competere dicitur, inde fit, quia iustum facere discriminem rerum nequeunt, adeoque sine iure in omnia perire cogerentur. Solum etiam corpus habent, quod current, non animum quem perficere debeant. Ast homines vsu rationis gaudentes, atque ad hanc perficiendam naturaliter destinati, vere discernere obiecta sua poslunt, neque ad conseruationem aut perfectionem sui iure in omnia opus habent. De proprio igitur hominis statu, seu quatenus rationalem habet, nobis simul disquirendum est. Ac primum quidem,

MV IN OMNIA.

7

dem, vt falsas regulas submoueamus, ex quibus
æstimationem iuris nostri fieri aliqui volunt; quæ-
nam illæ sint, quidque pro abfoluto iure omni-
um in omnia disputari queat, breuiter indicabi-
mus, sententiam nostram tum de regulis istis at-
que argumentis, tum de genuina explicatione
iuris in omnia iuxta subiecturi.

III.

*Argumenta pro iure omnium in o-
mnia, petita a conseruatione sui,
natura appetitus, potestate iudi-
candi de bonis ac malis, & a po-
tentia ac libertate singulorum.*

Naturaliter vntumquemque hominum, sicut
& cætera animalia, conseruationem sui amare ac
quærere, in confessio est: neque negari potest,
nihil naturæ contrarium, sed potius maxime con-
ueniens quemuis agere, si conseruare lete enixe
studeat. Quin quum inter prima naturæ præ-
cepta merito referatur conseruatio sui, membro-
rumque suorum: tanto minus dubitare licet,
quin ius quoque homini, ad subsidia huic fini
necessaria, sit concessum.

Cete:

8 DE IVRE OMNIVM

Ceterum nihil vsquam in toto terrarum orbe reperitur, quod non humanus appetitus aut expetere tanquam sibi conueniens & bonum, aut auersari tanquam sibi repugnans & malum queat. Cur autem naturaliter nobis ius non sit, bonum appetendi, malum fugiendi, nulla excogitari sufficientia ratio potest. Insuper & illud dubitatem nullam habebit, non determinatum a natura humanum appetitum ad certa bonorum genera, ut cetera nefas sit amare ; sed potius quælibet in medio veluti posita, & ipso nomine boni commendata mortalibus esse.

Quænam autem vnicuique bona aut mala sint, quænam ad conseruationem cuiusque faciant ac requirantur, non ex alieno iudicio cognosci debet ; vt in statu mere naturali vnius ab alio dependeat, & per hoc libertas atque æqualitas omnium tollatur: sed vnicuius natura ipsi expendendum ac iudicandum permisit. Quodcumque igitur homo in naturali statu appetet, ad illud, tanquam sibi conueniens & bonum, naturaliter ius habebit. Nam in bonum omne ius concedit natura, nec in quicquam fertur appetitus, nisi in bonum: & bonum existimari debet omne illud, quod vnuquisque ipse sibi conuenire, &

ad

IN OMNIA.

9

ad conseruationem sui vtile aut necessarium esse
iudicauerit.

Huc accedit, quod potentia hominum est ipsa summi numinis potestia, eoque omnino liberrima. Quum enim ex rebus creatis nihil suapte potentia operetur hincque totius naturae potentia sit potentia ipsius Dei: sequitur ulterius, singulorum quoque individuorum potentiam esse Dei potentiam. Nam potentia totius naturae nihil aliud est, quam potentia omnium individuorum simul sumtorum. Sed quia Dei potentia limites nullos agnoscit & liberrima est: pari libertate etiam totius naturae, eoque & singulorum individuorum potentia gaudebit.

Tandem ex naturali libertate omnium illud simul sequitur, neminem mortalium alteri, quantum homo est, censeri obligatum. Obligatio enim non potest non limites ponere libertati hominis, & manifestum argumentum est inaequalitatis, dum unusquisque deterioris conditionis censetur, qui obligatur, melioris, qui alterum sibi obstrictum habet. Ex quo sequitur, celsante obligatione omni nec iniuriam cuiquam posse fieri.

Si ergo ius unicus in omnia, etiam in

B

mo-

modum quemlibet ius erit, sine quo obtineri expeditum bonum nequit. Vnde siue precibus ac blanditiis, siue vi & dolo ac mendacio utamur, perinde futurum est, modo potiri sine nostro queamus. Hac sufficerint, opinor, vt ostendamus, non sine specie veri ius absolutum omnium in omnia in statu mere naturali defendi. Nunc quidnam in iisdem veri aut falsi iusit, penitus expendamus.

IV.

In quaestione hac solus appetitus nequit pro regula agnoscī.

In bonum omne, quatenus vere bonum & conueniens homini est, vnicuius ius dedisse naturam, vt illud expetere & querere possit, neminem puto inficias iturum. Illud itidem vere bonum existimandum est, quod non corpori modo hominis, sed etiam naturæ eius rationali conuenit, aut saltem non repugnat. Hoc ergo tantummodo indagandum superest, ex quanam regula bonum hominis in primis sit existimandum.

Vt euhque autem plurimi mortalium secundum appetitum præcipue viuant, & bonum sibi statuant, in quodcumque ille cœco impetu fertur:

mi-

IN OMNIA.

11

minime tamen ex eo solo de bonitate obiectorum atque actionum nostrum iudicium feren-dum est; neque tam spectari debet, quid vulgo fiat, quam potius quid fieri debeat. Inferiorem enim facultatem statui normam facultatis supe-rioris; eum qui oculorum lumine priuatus, con-stitui ductorem homini, utroque adhuc integro gaudenti, plane absurdum est.

Quod infantes ac furiosi appetitum solum sequuntur, idque citra culpam & reprehensionem vllam, ad homines rationis vsum habentes male applicabitur. Neque inde colligendum est, iure etiam suo, seu iuste agere homines, vsu ratio-nis priuatos, si agant quæ in aliis iniusta esse & reprehendi solent. Nam vt cunque conuenien-ter haec tenus agant naturæ, quam cum brutis com-munem habent, seu statui animalis, in quo sunt, quamdiu destituuntur rationis vsu: haud tamen agunt conuenienter rationali statui, & iuri, quod hominibus qua talibus, a natura datum; ut ilia supra monitum.

V.

Sed ipsa ratio hominis hic potissima regula.

B 2

Quare

Quare illuc iam perueniamus oportet, vt normam cognoscendi boni maliye in ipsa hominis ratione potissimum queramus: quippe quæ non corpus tantum, sed facultates quoque cæteras animæ longe exsuperat, & sola contemplari ac dignoscere objecta sua, sola quidnam extendum aut auersandum, & quisnam rectus virium corporisque usus sit, monstrare ac docere potest. Ex quo constat, dedisse naturam homini lumen rationis non alio fine, quam ut eius ductu in actionibus suis instituendis utatur. Cur enim alias tanta intellectu vis tributa fuisset? cur solus quidnam vere ex usu nostro sit, indicare valeret?

Iacet ille quidem in recens natis corporibus velut tenebris obseptus, & aliquot annorum cultu atque incremento opus habet, antequam vim suam ostendat. Quin adulti etiam non æque pollent omnes rationis usui, nec potest in omnibus lumen hoc æque clarum reddi, quantumuis doctrina & exercitatio assidua accedant. Cæterum manet tamen hoc apud omnes certum ac firmum, mentem in homine præstantissimam esse facultatem, & soli ius reliquis facultatibus imperandi competere.

VI.

IN OMNIA.

3

VI.

*Vnusquisque ipse est iudex eorum,
quæ sibi bona aut mala sunt.*

Illud porro negari haud potest, quin vni-
cuius hominum in statu naturali, & quatenus
homo est, regula suarum actionum sit propria
ratio, nec a cuiusquam vel prudentissimi iudicio
cogatur pendere. Immo quounque in statu
homo viuat, rationem suam pro regula semper
habet. Nam tametsi filius a parentis, seruit ab
heri, cuius a summae potestatis natu ita pendent,
ut neutiquam fas sit ipsis, quoties aliquid man-
dari parum subducta ratione vident, obloqui im-
perantibus atque obsequium denegare: attamen
obsequii sui normam habent non alienam, sed
suammet rationem, in quantum haec dicitur, stre-
nue parendum esse superiori, quamdiu nihil præ-
cipitur vetaturque honestis moribus contrarium.

Ius igitur cuius hominum de actionibus
suis iudicandi, vtrum instituendæ sint an omit-
tendæ. Hocque verum est, siue citra respectum
ad Deum consideres hominem, siue quatenus ma-
gni illius conditoris rerum pulcherrimum est opus.
Vt enim plena gaudet libertate, nec ulli sui gene-

B 3

ris,

14 DE IVRE OMNIVM

ris, in quantum homo est, parere cogitur: ita & ab alieni intellectus iudicio haud pender; nec cuiquam licet ullum mortalium, ut dictis suis auctoritatibus; in statu hoc compellere. Alias ex aequalibus necessario fierent inaequales.

Et quamvis conueniat rationi recte, ut consilia prudentiorum exploremus sequamurque: vtrum tamen consilium aliquod tale sit, ut amplecti præ aliis debeat, nostri esti iudicii. Nam quod voluntas ad hoc potius sese flectere, quam ad aliud debet, inde vere oritur, quia ratio nostra nihil reprehendit, cui iure possit contradicere. Quod si manifesto intelligat, consilium aut imprudens, aut male fidum, aut impium esse: tantum abest, ut necessitas quedam voluntatem ad obsequium adstringat, ut potius in alia omnia debeat abire. Contra ea, qui ex errore & ignorantia, quam deponere poterat, facere omittit, quod recte suadebatur, culpam eo ipso contrahit, sed quia aliter iudicaturus fuisset ignorantia sua excussa.

VII.

*Non quodlibet iudicium hic sufficit,
sed quod rei cuius consonum ac
verum est.*

Sed

IN OMNIA.

15

Sed vt cuncte haec nemo poterit negare & erroris conuincere: minime tamen licet homini pro arbitrio suo aliam fingere rerum naturam, quam quae vere est, ac bonum iudicare simpliciter, quidquid appetitui suo & statui animalis congruit. Quum enim rationali etiam natura sit praeditus, qua discernitur a reliquis animantibus & praeципue aestimatur: ad hanc potissimum oportet respicere, ne quidquam ei contrarium admittatur. Sic tametsi naturae hominis, quatenus animal est, haud repugnat, si alterius libertas ac iura ab eo violentur: aduersum tamen est naturae rationali & perfectioni morali eiusdem; ut merito in malis & fugiendis propterea ponatur.

Quod igitur ad intellectus nostri actum & iudicium attinet, illud aut conuenit cum re ipsa ac verum, aut discrepat ab ea, ac falsum est. Posteriore casu, si falsum est iudicium, vel quia quis appetitum magis & affectus animi, quam rationem in consilio habuit; vel quia debili mente est, nec instructus omnibus, quae ad pernoscendam certae rei naturam & veritatem deposcuntur: nemini mortalium potest ius competere iudicium eiusmodi sequendi. Quoties enim cunque deuitari potuit iste error, coercitio-

ne

16 DE IVRE OMNIVM

tie appetitus & affectuum , aut vocatis in consili-
um prudentioribus , aut alio etiam modo , sem-
per culpa aliqua , & minimum indirecta proæ-
fis subest , contra sanæ rationis dictatum faciendi.

Etenim quum intellectus noster lumen esse
debeat appetitus , satisque fungi officio nequeat,
nisi omnia suppeditentur adiumenta cognoscen-
dæ veritatis : oportet vnumquemuis id modis o-
mnibus agere , quo ratio penetrare in naturam
objectorum suorum , veramque ferre sententiam
valeat . Si igitur suapte culpa homo bonum iu-
dicat , quod malum & auersandum erat . quo co-
lore ius sibi arroget peruersum istud rationis di-
ctatum sequendi ? Quod si nulla ipsius culpa
subest , sed quantum in se fuit , curam omnem &
industriam adhibuit , vt vere objecta sua intelli-
geret : agenti quidem impune est , si quid mali
perpetrauerit ; at vero nec ipsa actio probari &
recta aut iusta appellari , nec iure suo quisquam
egisse dici potest . Quali scilicet iure agunt , qui
vñ rationis prædicti , & secundum rectam ratio-
nem viuunt .

Quamuis ergo vnicuique fas sit , conserua-
tionem ac salutem suam quærendi ; quamuis v-
nusquisque suarum actionum ipse iudex sit , &

ex

ex eadem causa quoque, non respectu alieni iudicij obligetur: nequaquam tamen inde ius prostrahi potest, quodlibet iudicium nostrum instar regulæ sequendi. Hinc quotquot vsu rationis possint, naturaliter ad hoc determinati aut potius destinati sunt, ut praescripto sanze rationis, non cuicunque iudicio de rebus, conuenienter viuant. Tantoque maior in his moralis est necessitas, qui præ aliis intellectu sunt perspicacio-re. Sicut ex aduerso necessitate illa haud adstringuntur, qui & quamdiu vsu rationis destituuntur. Hi enim haud magis possunt obligari, ut secundum rationem viuant, quam brutum aliquod, ut viuat secundum naturam animalis, quod diuersi plane generis est.

IX.

Quatenus ea, quæ utilia ac necessaria videntur ad nostri conseruationem, sint in bonis habenda.

Iam igitur lubentes concedimus, quod de rebus ad conseruationem nostri utilibus & necessariis monebatur, accensenda ea bonis humanis, itemque ad ea ius vnicuique esse: verum haud ultra tamen quam quatenus non impediunt & cor-

C

rum-

DE IVRE OMNIVM

rumpunt ac tollunt moralem hominis perfectio-
nem. Nihil equidem vtilitatis aut necessitatis
nomine sana ratio commendat, nisi quod veram
præbet vtilitatem, quod vere est necessarium.
Sed hanc præbere nihil potest, nisi quod & ho-
nestati haud repugnat. Inde preclare Iuuenialis
satyra XV.

melius nos

*Zenonis præceptam onent: nec enim omnia, qua-
dam*

Pro vita facienda putat.

Vt cunque ergo exempli cauſſa ſingamus,
maxime corpori alicuius expedire, vt vlu Veneris
ſeſe noſciuo humore exoneret, aut cibum alii pa-
ratum ſuo potius ventri immittat: nequaquam
tamen hinc ius fasque erit, in ſtatu mere natura-
li, opprimendi eſfrænata violentia obuiam quam-
uis mulierem, aut occupatum iam ab alio, & pro-
prio labore apparatum cibum, inuitio extorquen-
di. Contrarium enim hoc eſt naturali & æquali
omnium libertati: quam quia tu nolueris in te
violari, nec competere cuiquam ius existimas in
corpus tuum, aut res tuopte labore quæſitas, te-
met inuitio quidquam audiendi; ita neceſſe eſt,
vt de aliena quoque libertate par feras iudicium.

Alio

Alio pacto tolles æqualitatem & naturæ ac ratio-
ni rectæ reluctaberis.

IX.

*Argumentum a potentia & natura-
libus viribus hominis petitum ex-
penditur.*

Quæ de potentia totius naturæ, singulorumque eius individuorum afferuntur, ea ut fallissima sunt, ita nec si vera essent, quidquam efficerent. Licet enim placuerit configere, diuinam & naturæ ac singulorum individuorum potentiam re ipsa eandem esse: tanta tamen diuinæ potentiaz libertas fingi non potest, vt sele ad ea, quæ cum diuina perfectione pugnant, porrigit. Naturæ itaque & singulis individuis ea tribui potentia nequit, quæ iure possit repugnare perfectioni ac sapientiaz diuinæ: vt, exempli caussa, iure aliquis mentiatur aut Deum blasphemet. Nam sicut inter potentiam summi numinis, & eiusdem sapientiam ac voluntatem (quatenus voluntas & potentiam Dei idem sint, non disputabo cum scholasticis) perpetua est harmonia: ita naturæ potentia, ac singulorum individuorum, neutiquam

debet sapientiae huic & voluntati repugnare. Unde hominibus eadem in potentia sua usum pro censura ac regula semper est habenda. Quo ipso satis restringitur humanae potentiae libertas, ne ad omnia porrigitur, ad quae ipsae vires naturales possunt pertingere.

Post haec obseruandum est, minime ex eo, quod singulorum individuorum & totius naturae potentia ipsius Dei potentia est, valide sequi, illam pariter esse liberrimam. Afferendum enim itidem foret, naturam ac singula individua, non minus atque ipse Deus, sufficere ad producenda & procreanda omnia, quae contradictionem nullam trahunt. Quod cum falsissimum sit, ut ipsa res abunde docet: aut libertas seu licentia potentiae in natura & individuis singulis non aequis limitibus cum diuinae potentiae libertate circumscribi debet, aut negandum est, totius naturae & singulorum individuorum potentiam esse ipsam potentiam Dei. Quo enim argumento euincas, potentiam suam ita communicasse Deum cum natura brutisque & homine, ut qua licentiam solam ad omnia se extendat?

Ceterum omnino negandum ac pernegandum est, potentiam naturae & singulorum individuum

duo-

IN OMNIA.

duorum ipsius Dei potentiam esse: idque non propterea modo, quod illa duntaxat effectus est potentiae diuinæ, sed quia non possunt non horrenda consecaria ex contraria opinione fluere. Nam cuius sunt vires naturales, eius sunt & actus ex viribus illis naturalibus instituti. Quicquid igitur fecerint bruta, quicquid homines, tametsi infandum sit; ipsius Dei actus erunt: quod vires & potentia ex qua instituuntur, ipsius Dei sunt. Atqui hoc blasphemum afferere.

X.

In statu mere naturali potest iniuria aliis fieri.

Præter hæc neque illud accipiendum est, quod ex libertate omnium in statu mere naturali colligitur, iniuriam nulli, quicquid etiam in aliud tibi permiseris, posse fieri. Ac falsissimum omnino est, a legibus demum humanis dependere mutua hominum officia, ut illarum duntaxat respectu iniuria alteri possit inferri. Ipsa enim natura, quæ æquales fecit omnes, quatenus homines sunt, prohibet, ne quidquam æqualitatibus contrarium patretur, quamdiu alter & patitur, pari te iure frui, nec vel aperte vel tacite li-

DE IURE OMNIUM

bertatem suam tui caussa abdicavit aut restrinxit.
Haud melior alias hominum quain brutorum
conditio foret. Qui igitur scientes prudentes-
que, aut ex ignorantia quam vincere & exiure
poterant, naturæ suæ rationali atque alienæ liber-
tati aduersum aliquid committunt iniuriam o-
mnino illis faciunt, quibus nocent ac detrimen-
to sunt vel exitio. Atque hæc sufficient ad ar-
gumenta, quæ pro iure omnium in omnia pro-
ferebantur.

XI.

*Quatenus natura ius omnibus dede-
rit in omnia, vere exponitur.*

Vt autem & nos, ecquid nobis videatur,
exponamus, admitti potest dogma & axioma il-
lud, naturam ius dedisse omnibus in omnia, si
hunc in modum explicetur: Omnia licere appe-
ttere, facere & agere homini, quæ naturæ eius,
quatenus rationalis est, non repugnant. Vtcun-
que enim conueniant & bona ipsi sint respectu
naturæ animalis: præcipua tamen humanæ na-
turæ ratio haberi debet. Et absurdus, merito-
que reprehendendus foret medicus, qui digitum
curaturus, necessitate nulla vrgente totum brachi-
um

um refectum iret: quum tunc tantum facienda sit boni alicuius iactura, quando non aliter potest maius aliquod parari, aut praecaveri eiusdem dispendium.

Ex hisce iam vltro sequitur, quoniam reputat rationi recte, liberum aliquem esse & non esse; gaudere aliquo iure & non gaudere; idque codem plane respectu: neminem posse iure quidquam facere, quod libertati ac iuribus alterius aduersetur. Si enim mihi competit ius aliquid faciendi, eo ipso denegatur tibi ius resistendi: quatenus autem pati aliquid cogeris, esse nequis liber, nequis iure aliquo gaudere. Vulgo dicunt iuris civilis interpretes: *vbi offensio permissa, ibi defensio prohibita*: indeque arguant, si quis iure possit capi, eundem resistentem iure posse occidi.

Quod natura omnia omnibus dedisse dicitur, de terris & animalibus brutis, atque ita intellegendum est, vt illa omnia pro indiuiso sint concessa, nec ulli liceat sibi soli vendicare. De vi doloque, vt & simulatione, dissimulatione ac mendacio iam feratur iudicium, quatenus liceat his aduersus alios uti. Scilicet quandocunque non solus appetitus, sed sana ratio docet, hoc ille casu locum eiusmodi subsidiis esse. Neque
erint

14 DE IVRE OMNIVM IN OMNIA.

enim simpliciter natura contentiones, odia, iras, dolos & cætera, in quæ appetitus fertur, auersatur, sed quatenus morali hominis perfectioni aduersa sunt. Hinc distingui videmus inter vim iustum est iniustum, inter dolum bonum & malum.

Gratias tibi benignissimum numen!

COROLLARIA.

I.

MEndacium in se vulgo pugnare creditur cum recta ratione & naturæ lege: nos contrarium tuebimur.

II. Poena suspendii, qua fures hodie afficiuntur, non reputat iure naturæ.

III. Usuræ per se non prohibentur iure naturali.

IV. Iuslurandum latroni ex metu præstitum, iurantem obligat.

V. Hostis non habet ius puniendi hostem.

VI. Poenarum infictio potest referri ad debita moralia.

VII. Etiam gentiles potuere cognoscere, luctam illam appetitus cum ratione non esse a Deo.

In genio polles IVNCKERE, quod artibus aptum,

quod te præcelsis insinuare potest.

Perge bonis aubus, sapientum pulpita scande,

ac doctis monstra te placuisse viris.

*Ita
feliciora ominabatur fate*

G. SCHVBARTVS, P.P.


h. t. RECTOR.

Ius dedit Hobbesius cunctis in cuncta: quid in se

Non dederit cunctis ius veniamque stylis?

gratul. scrib.

P R A E S E S.



Jena, Diss., 1685 M-Z
X 239 6276

ULB Halle
005 805 740



3

KD7

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DE
**OMNIVM
OMNIA**

IS AVSPICIIS
AESIDEQUE
SLEVOGTIO,
IVRIS ORDINARIO,
E DISPVTABIT
GIVS IVNCKER,
HVSA-THVRINGVS,
LIS CIC IOC LXXXV.



ITIO II.

E N AE,
NHARDVM HELLERVUM.

IOC CC XX.

KÖN.FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE